

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

**XLV.**

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

## XLIV.

*Esal. in Servatore. Reverende & clarissime Dn. Doctor, amice & frater plurimam  
colende.*

**N**ondum quidem ex fratre, D. D. Erasmo, intellexi, quæ de conventu Erfordiano scripsisti: sed conveniens post meridiem. Nunc quia properare dicitur tabellarius, breviter respondeo. Ago autem tibi reverenter gratias, quod & illa fidei meæ committas, de qua non dubitabis, & quod fratris perditæ, utinam letiæ resipiscentis, curam tam amicè suscipis. Non vacavit nunc ad eum scribere, mitto tamen florenos duos, quos in usus necessarios exponas pro eo; de reliquis curæ mihi erit, & respondebo ei, cum primùm certi aliquid constituero. De rebus Ecclesiæ & Scholæ nostræ quod scribam, non habeo: videntur quidem Sturmiani monstri aliquid alere, sed quando, aut quomodo parituri sint, nondum apparet. Hoc unum ego doleo, & abominor, quod sermones nullos fieri audio de castigandis iis Professoribus, qui novo Rectori fidem suam astringere recusarunt. Quamdiu enim hoc illis conceditur, facile est aestimare, quomodo domesticos suos, & alios studioflos instituant. Sed & hoc emendari fortasse poterit, modo & ratione, quam adhuc ignoramus. Reverendis D. Collegis tuis, ac inptimis Cl. Dn. Doct. Kirchnero, salut. observant. mea erga illum testem, reverenter ascribo. Si fratri Petro impetrari posse stipendium aliquod arbitrarer, fortassis circa finem mensis sequentis ad vos excurrerem. Benè in DOMINO vale, Vir Clariss. & frater reverende, Argentorato, 3. Cal. Febr. 1582.

*Tuum frater in DOMINO*

Joh. Pappus.

## XLV.

*Salutem in Servatore Christo, Reverende & clarissime  
D. Doctor, Domine, amice & frater charissime.*

**P**AULÒ postquam ad te nuper scripsisse, accepi à D. Doct. Erasmo narrationem de conventu Erfordiano, & vestram de Apologia illic adornata sententiam. Gaudeo equidem, & æterno DEO, pro hoc etiam beneficio, gratias ago, ipsamque methodum, si quid judicare possim, vehementer probo, modo Sturmii non perfundatoria fiat mentio, idque propter titulos maximè Antipapporum, quibus profiteatur, se exterarum Ecclesiarum causam agere. Sed ineptus ego, qui noctuas, quod ajunt, Athenas. Tbinga nunciatur, D. Jacobum Andreæ peculiari scripto An-

N n a n

hal-

haldinis respondere, & historiam quoq; itineris sui, quam in Academia mense Decembri publicè habuit, editurum esse, quod tamen utrumque, an certò futurum sit, ignoro. Bremensium scriptum nondum vidi: audio ibi esse Widebramum, & ex deportatis Witebergensibus unum, aut alterum præterea; qui si autores sunt illius scripti, impietatem suam sine dubio manifestiore reddent. Nostrí rebus omnibus perfundi sibi videntur, exautorato Sturmio: de subscriptione Libri Concordiae vix sustinent audire amplius. De Comitiis altum adhuc apud nos silentium; vix autem futurum puto, ut non rationem à nostris exposcant Status Augustanæ Confessionis, cur tamdiu Antipappos toleraverint. Quanquam noster Senex & Antiquus Rektor contra Doct. Jacobum adhuc scribere dicitur. De Petro expedito propediem sententiam fratrum & cognatorum; si ad ingenium rediret, quod nolle, confido, te id me non claram habiturum esse. D. M. Ulrico fratri chariss. sal. plur. ascribo. Henricus iste Johannis Holtatus vir optimus est, & mei studiosissimus, neque, ut puto, M. Ulrico ignotus. Eum humanitati tuae commendo. Benè in DOMINO, reverende & Cl. D. Doctor, amice & frater chariss. vale. Argentorato, 23. Febr. 1582.

*Tuus in Domino frater*

Joh. Pappus, D.

XLVI.

*S.D. Reverende & clarissime vir, compater carissime.*

**T**oto ferè semestri nullas à te literas habui, nec de Ecclesiæ & Academiæ in patria tua statu cognovi. Quæso igitur, ut ad pristinam scribendi assiduitatem redreas, & Davidem Razium, discipulum tuum, horteris, ut non solum exercendi studii, verum etiam humanitatis causa nullam literas ad nesmittendi occasionem prætermittat & de matris valerudine, de fratribus, sorore Maria, & de Wormatiensi Ecclesia me doceat. Mitto Epistolam Constantinopoli recens allatam, & de Russorum ac Tartarorum Religione & moribus libellum, ut tua eruditiora & suaviora vicissim eliciam. Benè vale. Rostochii pridie Nonas Martii, Anno 1582.

David Chytræus.

XLVII.